B. N. C
FIRENZE
1070
38

1070. 38

TH. BARTHOLINI
RESPONSIO
DE
Experimentis Anatomicis Bilſianis
ET
Difficili Hepatis reſurrectione,
AD
Clariſsimum Virum
NICOLAUM ZAS.



HAFNIÆ,
Apud PETRUM HAUBOLD,
ANNO 1661.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1872

107 D. 38

Clariſſimo Viro

D.D.NICOLAO ZAS

Medico Roterodamenſi

S. D.

TH. BARTHOLINUS.

PUblicas Tuas ad me literas nudius tertius legi, aliena dialecto ſcriptas, forſan & mente. Miratus ſum impensè litem mihi propter illum moveri, qvem officioſa Cenſura in Spicilegio ſecundo conſtitueram devincire, adeò verus eſt *Tacitus*, plura nos ſæpe peccare dum demeremur, qvam qvum offendimus. Ex ſiniſtro enim tuo reſponſo perculſus, non metu ullo aut ignobili timore, qvi majori invidiæ aſſvevi, ſed qvod benè cogitata, ami-

co prorſus animo à me profecta, in deteriorem partem interpreteris. Scias qvippe, qvem cætera perſpicacem intelligo, nocendi à me animum abfuiſſe, nec unqvam illius odium aut indignationem qvæſiviſſe, qvem dato ſtudio ad præclaros conatus pertexendos porrò animare ſententia ſtetit. Ægrè tuli qvod rudius à nonnullis, ut fama ferebat, tractaretur, ne aculeato ſcribendi genere deterreretur à ſuſceptis laboribus. Unde non tantum apud amicos domi data occaſione Nobiliſſimi Bilſii laudavi ſæpe inſtitutum, ſed & idem ad Clariſſimum D. *Blaſium*, digniſſimum Amſtelodamenſis Gymnaſii Profeſſorem per literas familiares teſtatus ſum. Qvumq; anniverſariis Diſputationibus Celeberrimorum Autorum de Lymphaticis noſtris Vaſis ſententias exponerem, hujus qvoq; Viri inventa nupera principibus Achivis permiſcui, non ut damnarem nuper natas obſervationes, aut nomini Nobiliſſimo maculam ingloriam adſpergerem, ſed ut veritas publica ventilatione excuteretur, & ad arcana ſua Bilſius invitaretur. Nec credidi adeò eſſe vos pruriente ſenſu, ut vel blandiſſimo palpo irritari poſſetis. Supra mortale faſtigium ſe evexit, qvi nullius attactum fert.

fert. Profectò ſi eo vos eſtis ingenio, rectius domi veſtra ſervaretis. Credite mihi injurato, neminem tam fore occœcatum, ut ſola nominis veſtri authoritate ſine accuratiori ſcrutinio veſtra vel experimenta vel promiſſa ſit amplexaturus. Gratis nemo cordatus inviſa credit, & ut in ſententiam veſtram orbis eruditus concedat, ſcrupulis omnibus prius erit ſatisfaciendum, qvam vel in expenſorum participationem vel ad plenum applauſum pertrahamur. Expendenda omnia ſunt, qvæ ex ſe natura parturit & ars efformat, & velut Aqvilini pulli, ita ſingulorum obſervationes ad ſolis ſeu veritatis ſplendorem examinandæ, ut pro legitimis ſuſcipiantur. Vides, mi *Zaſi*, qva mente ad *Bilſij* tui acceſſerim experimenta, non ut vel illius honori vel horum veritati nigrum theta præfigerem. Luſcis oculis vel effaſcinatis Spicilegium meum ſecundum inſpexit, cui id de me in mentem venit. Abhorret ab ingenio meo perverſus aliorum mos, qvi nihil rectum putant, qvod ipſi neſciunt. Non mihi aut gloriæ meæ decedit, qvod plus alii videant. Nec enim omnia Naturæ myſteria unius ingenium exhaurit. Plura reſtant etiam poſteris inveſtiganda. Non invideo,

ſed applaudo, ſiqvidem ſpecioſis verbis eventus reſpondeat. Promiſi hunc *Bilſio* tuo applauſum, laudemq; diligentiæ æterno nomini, & ſummo officio hortatus ſum ne promiſſas demonſtrationes diutius differret. Hæc ſummi honoris & ſinceri animi verba qvod ſiniſtrorſum acceperit, non mirum, qvia ex tua confeſſione literas humaniores ignorat. Rectè *Cajus Lucilius* olim dixit, ea qvæ ſcriberet, neq; ſe ab indoctiſſimis, neq; à doctiſſimis legi velle, qvod illi nihil intelligerent, hi plus fortaſſe qvam ipſe. Id tamen miror, qvod Tu, Vir Doctiſſime, illius Patrone, acutius videns, veri interpretis officio defueris. Omnem admirationem ſuperat, qvod ſe ſupra emendationem homo protulerit, nævosq; ſuos vel ignorare voluerit, vel diſſimulare. Nimium vobis eſtis ſuffeni, vel certè Tu, mi *Zaſi*, qvi pro Deo *Bilſium* colis, & ſupra mortales errores evehis, vel adulatione nimia vel cœco in præceptorem amore nimium peccas. Qvo fuco induces avaritiam ipſi ex merito exprobratam, qvod magno adeò precio ſuas Mumias divendat, unamq; ſolam 40000. florenis exponat licitatoribus; nec ullum, etiam artis ejusdem candidatum, ad ſpectaculum

breve

breve & momentarium admittat, niſi ſoluto prius Unciali. Sub Arcto habitamus, nonnullos tamen audivi, qvos pœnituit expenſarum. Ideone contra me plena penna debaccharis, qvod ulcus *Bilſij* ſordidum tetigerim. Nobilis tuus *Bilſius* aurum ex cadaveribus & mortuorum viſceribus colligat. Non ideò tamen illi Judæorum fatum optavi, de qvibus *Joſephus* l. 6. Belli Judaici c. 15. qvosdam refert compertos, qvi aurum devoraverant, & idcircò à Romanis necatos recluſis viſceribus. Non læſi Nobilitatis decus, ſed emendavi, ſed amicè monui ne proſtitueret partam nobilitatem, qvum & nobis cura nobilitatis incumbat. Qvanqvam tanta habendi cupidine flagraret, ut propter centum ſeſtertia in Rhenum vicinum, non cum illo in Tiberim, ſe mallet dare præcipitem, optarem tamen prudentiorem audaciam, ſaniora conſilia & vitam longiorem, ut diligenti cadaverum diſſectione Artem Anatomicam pro virili parte augeret. Qvid deinde Bilſianæ invidiæ prætendes? Injurius in Deum & Naturam eſt, qvi ſibi ſoli ſervat, qvod benevola Natura ex nutu Dei pluribus voluit eſſe commune. Occultanda Principum conſilia, Dei autem

 ope-

opera propalanda ſunt, *Tob.* XII. 8. Qvod ſi eâ invidiâ hactenus â primis Anatomiæ incunabulis Proſectores ſuas occultaſſent obſervationes, vel Medici remedia, pejus jam cum genere humano ageretur. Ferunt Nobilem Bilſium ſua filiolo ſecreta reſervaſſe, non tamen prius propalanda, qvam fatalem horam ſibi imminere ſenſerit. Qvis verò ſpondebit Bilſio meditatam mortem, qvis filiolo? Profer dum vales, mi *Bilſi*, dum ſani vigent ſenſus, artes tuas & ſecretum operandi modum, niſi publicum erubeſcat, ne tecum funeretur, & migraturo hinc forſan oneri ſit. Sic omnes mortales Tibi æterno beneficio obſtringes, & Deo omnium bonorũ datori gratus videberis. Tu qvi intimæ apud illum es admiſſionis, Doctiſſime *Zaſi*, illa conſilia ſuggere, meliusq; de publico mereberis in famæ tuæ exordio, qvam acerbis Apologiis, qvibus vi qvaſi armata & maledica venerationem apud literatos Bilſio ſtudes procurare, qvaſi hi minis terrerentur, aut his eadem arma deeſſent pro famæ & vitæ tutela, qvæ conſultius contra imminentem cervicibus Chriſtianorum Thraciam acuet qvicunq; generoſi pectoris incendio ardet. Non cadit in hos bonarum rerum invida ſuppreſſio, qvi

bonis

bonis abundant, at qvibus curta domi eſt ſuppellex, arcanis eliminatis, paupertatem metuunt. Inviſum hoc Apollini mortalium genus, & cum ruſticis Liciis plerumq; tandem in ranas coaxantes transmutantur, qvod feſſam Latonam ex naturæ rivulis bibere impediant. Qvo deniq; nomine excuſabis Bilſium, tuum clientem, qvod omnes Proſectores præ ſe contemnat, tanqvam fungos, truncos & inutile lignum, qvum inter illos ſint fuerintq;, qvi ætatem inter utiliſſima experimenta conſumpſerunt, nec ingloriam operam literariæ Reipublicæ mutuati ſunt. Si ille albæ eſt gallinæ filius, an reliqvi idcircò ex Ibide nati? Gloriæ temperantia illos decet, qvi hæc ſacra tractant, & prudentis eſt ſua fortuna, ſua in novis felicitate, ſua deniq; arte, moderatè uti. Si parvis magna componere licet, Antiſthenis illud ad *Platonem*, cætera maximum, in hos qvadrat, qvum eqvum hinnientem in pompa frementemq; vidiſſet, *Tu*, inqvit, *meo judicio præclarus fuiſſes eqvus.* Non ego me pro Proſectore commendo, qvanqvam olim in hoc ſtadio impigre deſudaverim. Sint qvidam qvi me dicant non fuiſſe Anatomicum,

At qvi me vendit Bibliopola putat.

Tuæ qvoq; humanitati & benevolentiæ debeo, qvod Phœnicem Anatomicorum me vocaveris, Aliis Princeps dicor, aliis anteſignanus, oculatiſſimus, feliciſſimus &c: Qvanqvam benevola Doctiſſimorum Virorum judicia ſpernenda non ſint, qvibus meritas ea propter gratias ago: tanti tamen nunqvam meum ſtudium putavi, ut tantos titulos mererer. Seriò te loqvi dubitare non auſim. Malè tamen apud Te audit Clariſſimus *Pecqvetus* qvia clariſſimum me & inter ætatis hujus Anatomicos oculatiſſimum appellavit, mihiq; deinde exprobras, qvod eadem repetierim. Qvo verò fine id à me factum, verbulo indicavi *Spicil. Vas. Lymph.* 1. c. 4. non laudis prurigine, ſed conſcientiæ fiducia, qvam hic & alibi integram ſervabo, rumpantur ut ilia Momis. Qvicqvid ſit, meo pede me didici metiri, nec ab ullo venerationem mihi emendicavi. Sunt alii in his artis operibus magis exercitati, benèq; meriti, qvi protervè adeò lutulento pede conculcandi non ſunt. Sit illis, qvi præceſſerunt ſua laus, ſit ſua qvoq; ſeqvuturis. Unde hauſerit artis ſuæ fundamenta Nobilis Bilſius, ipſe *Cl. Joanni van Horne* confeſſus eſt, ut ante lectam Anatomiam noſtram Belgicam

&

& D. *Barbette*, nec partium nomenclaturas, nec actiones noverit. Non in opprobrium Bilſii iſta afferuntur, ſed ut admoneatur, ne de ponte illos dejiciat à qvibus artis didicit rudimenta. Neq; pudere illum debet hujus lectionis. Majores enim illo lectores habui, & magis gratos, qvibus de meliore luto finxit præcordia Titan. Sed nec defuere æmuli & oſores, in meis operibus ingenioſi, clanculum tamen ex noſtris lucubrationibus doctiores, ut verè dixerim cum *Theodoro Atheo*, verba me auditoribus & lectoribus dextrâ manu porrigere, illos verò nonnunqvam ſiniſtrâ accipere. Gratulor interim mihi, qvod etiam *Bilſius*, tantus artifex & cadaverum conditor, noſtris ſit enutritus principiis, qvibus deinde novas ſuas obſervationes ſuperinduxit, & novo velo pulchriorem ſponſam amaſiis ſuis ſplendida dote obtulit. Infra modeſtiam meam eſt & conſvetos mores, navatam in ſectionibus hominum, brutorumq; operam Nobiliſſimi Profectoris *Bilſii* extenuare. Diligentior culter qvamvis laudem & inveniendi felicitas qvamvis coronam meretur, modò ille innocentibus parcat. Si fides tuæ relationi, ultra 60. cadavera humana eviſceravit, & præter alia

alia animalia, plus qvam mille canes enecavit. Certè omnj latratu civitatem Roterodamenſem deſpumavit, totq; canicidiis expurgavit. Utinam proprium & domeſticum qvoq; canem, omnium inſtar, jugulaſſet. Forſan paucioribus extiſpiciis idem fuiſſet aſſeqvutus, ſi in conſilium artis magiſtros adhibuiſſet, nimiisq; ſumptibus peperciſſet. Sed hæc ad me non ſpectant. Didicit ille Anatomen ſuo modo, nos noſtro. Sufficit qvod in nundinis merces ſuas venum exponat & emat ipſe, ſiqvidem, ne pluribus innoteſcant invidiâ qvadam nobili, ut ille putat, & neceſſariâ, ſuos theſauros ſupprimit. Indefeſſo hoc ſtudio meruit Nobiliſſimus *Bilſius*, ut à nobis qvoq; publicæ illius Epiſtolæ legerentur, qvas amico animo, neutiqvam malevolo, à me eſſe lectas amica mea in Spicilegio ſecundo pagina teſtatur. Non qvidem inde doctior receſſi, ſed, qvod apud *Comicum* eſt, incertus multò qvam dudum. Temperare mihi tamen neqveo, qvin curſorio oculo evolvam qvicqvid recentiorum calamus ſubminiſtrat, & majorem illis gratiam referre ſoleo, qvi nudam nobis Naturam ſine velo aperiunt. Nec tuo, Doctiſſime *Zaſi*, de Vaſis Lymphaticis ſeu Aqvoſis

B.. Bel-

Belgico idiomate conſcripto libello horulam denegavi, ubi binæ ex cadaveribus obſervationes luce dignæ mihi viſæ ſunt, ſicut magna nominis tui laude alibi ex ſchediis meis intelliges. Qvocunq; in me ſis animo vel affectu, ne credas me vel Tibi malè velle, vel Bilſio malè precari. Offenſas libenter condonabo, qvas non merui, ſemperq; malui officiis certare qvam injuriis. Et qvanqvam connato candore nævos recenſitos notaverim, & qvam molliſſimâ manu tetigerim, non volui tamen iccircò, ut acerbius tractaretur, qvia majores in illo virtutes elucentes facilè poſſent nævos vel delere vel obſcurare. Eleganter *Petronius* in Satyrico: *Apes ideò pungunt, qvia ubicunq; dulce eſt, ibi & acidum invenies.* Candido hoc pectore diras veſtras incurri, qvibus jam nihil reſponderem, niſi & ſilentii pœnas metuerem. Promptior foret ad obſeqvium calamus, ſi tam rationibus certaſſes, qvam maledictis. De Epiſtola tua Apologetica, pace tua, dixerim, qvod olim de luſcinia: *Vox eſt, prćterea nihil.* Intacta relinqvis rerum momenta, & difficultates propoſitas, qvaſi non animadverſas, ſicco pede tranſilis, qvas ante amoris veſtri fiducia amicè attuli, qvam aſſenſum pollicerer. O-

por-

portet vos otio abundare, qvi tot verba gratis effuſa perditis. Ego magis occupatus cum tædio iſta legi, ex qvibus nec doctior lector evadit, nec firmior amicitia, qvam inter bonos & placidos mutuis literarum colloqviis vel augemus vel provocamus. Expectabat curioſus animus cum novo Vaſorum Lymphaticorum progreſſu & uſu, ſolidam diſtributionis chyli ad hepar demonſtrationem, qvam Bilſius promiſit, ut hepati ad reſurrectionem aditus pateret; opinione falſus & exſpectatione, præter veſpillonum nænias, & Siculas gerras nihil audivi. Nam cœco favore in hepatis auxilium ruis, & chylum illi infers per meſeraicas, qvas eo cremore imbutas, nec unqvam vidiſtis, nec reapſe demonſtrare poteſtis. Provocat tamen ad artis ſuæ certitudinem *Bilſius*, qvam demonſtraturum ſe pollicetur, ſi vel ego in Belgium, vel ille in Daniam navigaret, ideòq; me ad ſe invitat vel licentiam huc veniundi ab Auguſtiſſimo noſtro Rege, (qvi nullos à finibus Regni ſui, præter Judæos, ſine ſalvo conductu arcere ſolet,) me interprete exambit. Sed ſi me audiret, tranſigeret prius cum domeſticis ſuis, ſuasq; artes vicinis ſuis Leidenſibus commendaret, in arte ſecandi verſatiſ-

ſimis,

ſimis, à qvibus, ut fando accepi, hactenus impetrare non potuit aſſenſum. In Anatomes peritiâ nulli, nedum mihi, cedunt, ut illis primum debellatis, qvi ſudes ſunt in oculis, facilior deinde de me abſente & remoto ſit futurus triumphus. Nec animum obfirmabo, facilis ad applauſum, ſi iſtis Anatomiæ Profeſſoribus, præter alia, demonſtraveris chyli ingreſſum in hepar, ſed immediatum ex venis lacteis, non rubris meſentericis per longas ambages, qvibus cum ſangvine miſtus, chyli propriam appellationem amiſit. Ubi hæc & alia qvæ promittuntur, à *Bilſio* demonſtrari qvocunq; vel levi indicio mihi à fide dignis fuerit renunciatum, ſtatim etiam non viſis acqvieſcam, nec opus erit ſumptus in itinere ultro citroq; perdidiſſe, aut περιοδεύειν. Qvanqvam verò hanc Anatomes lampada aliis jam tradiderim, & Honorarii titulo ſeu privilegio à Clementiſſima Regia Majeſtate conceſſo emeritus, hiſce exercitiis amplius vacare non debeam, qvæ juniori in Academia Medico ſolent committi, nec meæ amplius ſortis negocium eſſet; volupe tamen fuit per diſcipulum olim meum, nunc ſucceſſioni maturum, Virum Clariſſimum D. *Henricum à Möinichen*, Affi-

Affinem & amicum ſincerum, rentare apud *Bilſium*, qvid tantis promiſſis ſubeſſet. Igitur qvum Möinichenius ex Italia & Gallia redux patriam meditaretur, per literas ſvaſi ut in tranſitu *Bilſii* ſectiones præſens inſpiceret, qvo certius deinde nobis de miraculorum conſtaret veritate, de Lymphaticorum augmento, & de hepatis ſalute. Paruit monitis Vir in Anatome exercitatus, tanto libentius, qvod ipſe qvoq; curioſitate incredibili omnia ſectaretur qvæ ad artis complementum ſpectant. Adfuit igitur *Bilſio*, & ſicut teſtatur, humaniſſimè fuit exceptus, ſed nihil eorum reportavit, qvorum gratia illuc venerat. Si Tibi *Bilſius* tuus habitos inter utrumq; Anatomicum ſermones reticuit, non gravabor referre, ut porrò hæc in memoriam illi refrices. Dies erat octavus ſeptembris proximè elapſi anni M DC LX, qvum primò inviſeret *Bilſium*, qvaſi artis Anatomicæ ignarus, ſolutoq; Imperiali Thalero, nihil præter corpora balſamo condita vidit, nihil præter invectivas voces in Medicos & Anatomicos audivit. Spem verò ipſi faciebat *Bilſius* videndi corpus conditum qvod ſub manibus habebat poſt ſex dies perficiendum. *Möinichenius* ſimulans ſola curioſitate

oſitate ductum ſine ulla Anatomes peritia, præfabatur officioſè, veniſſe ſe ſpectatum miranda illius & ſtupenda opera, rogareq; ut ſectionem unicam in vivo cane ſibi monſtraret, qvo oculis ipſis intueretur illa qvæ ni ore omnium Batavorum verſabantur. *Bilſius* ægritudinem neſcio qvam cœpit prætexere, & intra ſola verba obſervationes claudere. Addidit tamen, ſi poſt dies qvatuor vel ſex rediret, viſurum eſſe omnia. Hinc reverſus *Möinichenius* Roterodamum die XVI. ejusdem menſis, ex domeſticis *Bilſii* intellexit, poſt diſceſſum primum integra eum fuiſſe valetudine. *Bilſio* verò in manus tradidit literas commendatitias amiciſſimi Domini *Lonnes* Amſtelodami ſcriptas, detectaq; larva apertè ſe profiteri artis Anatomicæ ſtudio addictum, & rogare, ſiqvidem ex lectis relectisq; omnibus illius opuſculis non pauca minus vera ſibi occurriſſent, ut vi literarum commendatitiarum, inprimis ipſius *Bilſii* ad Anatomiæ ſtudioſos, promiſſis ſatisfieret non verbis ſed veris demonſtrationibus. *Bilſius* verbis officioſis magisq; humanis qvam in primo congreſſu, ſine ulla in Anatomicos Medicosve invectiva, promiſit ſe dubia explicaturum ex figuris veris & accura-

euratis, qvomodo ſatisfecerat Excellentiſſimo Domino Regio, nullam canis vivi diſſectionem urgenti. Non contentus iſta reſponſione *Móinichenius*, negavit motum humorum talem eſſe poſſe, qvalem ipſe fingit, propter valvulas in Vaſis Lymphaticis freqventes. Regeſſit *Bilſius*; ſi valvulæ ſibi monſtrari à *Móinichenio* poſſent in lymphaticis, fore illum ſolum & unicum qvi naturam noſſet ejúsq; operationes, ſe verò illis viſis propria manu recantaturum omnia ſcripta & dogmata cum ſolenni confeſſione erroris ſui & cœcitatis. Inſtabat *Móinichenius* ut unicâ ſectione tantas lites dirimeret, ſe ſtatim ad ſuas demonſtrationes fore paratum ſive in eodem cane, ſive alio monſtraturum ad oculum valvulas & alios *Bilſii* errores. Non potuit tamen *Bilſius* ſive obſtinato animo ſive cauſæ malæ metu adduci ut votis annueret. Advocaturum qvidem ſe amicos dixit, qvi ſectioni Móinichenianæ teſtes adeſſent, qvos *Móinichenius* admiſit facilis, ſed ea conditione ut *Bilſius* prior eſſet in demonſtrando. In caſſum tamen omnia tentata. Nullis enim precibus aut expoſtulationibus ſe exorari paſſus eſt, ut in præſentia *Móinichenii* vel unam ſuam diſſectionem in ſe ſuſciperet. Du-

orum

orum menſium inducias poſtulavit, qvibus finitis mira promiſit. Inter hos ſermones ſupervenit *Nicolaus Stenonis* noſter, diſcipulus qvoq; meus, qvem ſperata ſectio illuc invitaverat, cum alio Medico vicino, ſed irrita omnes ſpe diſceſſerunt. Suggere hæc clienti tuo, ut ſciat qvanta ſpe multos, etiam publico programmate invitatos ineſcet: & qvalem inventurus ſit qvi in demonſtrationibus conſerto pede & manibus promptis cum illo congredi paratus eſt, ſi inviſendæ Daniæ deſiderio flagraverit. Inaudita ante & inviſa ſi protulerit, inaudito applauſu excipietur, meq; inter primos laudum præcones numerabit. Qvantum ex ſparſis ſchedis & aliorum animadverſionibus perſpexi, in vero lymphatici humoris decurſu à recta diſtributionis via aberrare eſt neceſſe, qvia valvulas oculis cultroq; manifeſtas vel negligit vel celeri manu obterit. Deinde in exſiccatis balſamoq; conditis cadaveribus, qvanqvam artificio eleganti pateant interna vaſa, valvulæ tamen exſiccatæ humores reciprocos inſvetis viis permeantes & ultro citroq; ſine obſtaculis decurrentes admittunt.

Magnum ſubſidium ad œconomiam corporis, & vaſorum ſeparationem affert ſe-

cretum Bilſianum, qvo omnem corporis ſangvinem, in ſectione obvium & incommodum, ſine ulla vel guttulæ profuſione, ab una corporis parte ad alteram ſcit amandare, imò in hanc vel illam corporis regionem, qvocunq; placuerit propellere novit. Modum ſibi ſervat, ut ſoli ſibi ſapiat. Qvanqvam verò parum cruor exercitatum removetur, præſertim ſi ligaturis vaſa conſtringantur, tamen ad multos uſus ſecretum, ſi qvod eſt, & ſecreti authorem illuſtrem commendamus. Varias ſiſtendi ſangvinis rationes uſus nos docuit, qvas in diſſectionibus cadaverum hactenus negleximus, ſi interceptionem per vincula excipias. Non dubito qvin ad Anatomicas præparationes poſſint transferri. Sunt qvæ condenſent & in grumos ſtringant, qvalia exſiccantia ſunt, & emplaſtrum ex gypſo cum alumine apud *Braſavolum* in Aph. palmam omnibus præripit Sal mirabile Clariſſimi Chymici *Glauberi* Mirac. Mund. part. 2. c. de Uſ. Sal. in reb. al. qvod non tantum aqvas qvascunq; pluviales vel deſtillatas brevi ſpacio in glaciem coagulat, ſed & fontem ſalientis aqvæ obturat: vinum qvoq;, acetum, cereviſiam, mel, mulſum & alios liqvores in duriſſi-

mam

mam glacieq; æmulam ſoliditatem compingit. De Sale qvodam fixo obſervavi apud Chymicum noſtrum peritiſſimum & amicum optimum D. *Abaſverum Payngk*. aqvas in gelatinæ conſiſtentiam verſàs. Compeſcendo ſangvini idem Sal ſufficeret. Alia comprimendo ſiſtunt, ſicut de cribellario narrat *Rhodius* noſter Cent. 1. Obſ. 91. Frigus repellendo ſedat hæmorrhagias, de qvo diſputat *Hildanus* Cent. 3. Obſ. 2. damnatq; *Bennettus* Theatr. Tab. Veſtib. Exerc. 26. & ſubſtituit calorem ſuperficie tenus, vel extremarum intenſum. Occulta nobis qvalitate manifeſtos edunt effectus, Zizania noſtrorum experientia; urtica apud P. *Borellum* Cent. 1. Obſ. 91. Jaſpis *Boëthio* l. 2. de Gemm. c. 102. hæmatitis *Dioſcorid*. l. 5. c. 144. fuligo *Severino* Trim. Chir. c. 20. ut alia taceam manifeſta, de qvibus *Galeni* eſt judicium l. 9. de ſimpl. Med. Fac. qvod adſtringentia refrigerando, contrahendo; conſtringendoq; contentum in partibus ſangvinem repellant. Superſtitioſi verba advocant, qvorum effectus etiam ſine ſuperſtitione innotuerunt. Ad transferendum ſangvinem follis conferret ſpiritu propellente, tumq; injectâ ligaturâ ex voto ſuccederet opera-

peratio. Si meliora his ſecreta in ſcriniis veſtris ſervantur, qvanqvam inviderec Bilſius, tu tamen, *Zaſi*, doctiſſime, non ſupprimes, ut benè de mortalium ſalute merearis. Non eſt qvod infenſum clientem metuas. Arcana inter artis filios & ſocios cum veniâ eliminantur, & latinâ ſcriptione, peregrina illi Dialecto, tutus eris. Publicæ ſaluti privatus timor cedat. Fidem meam interpono, publicas utrumq; gratias relaturum, & à me maximas. Parcis enim veritati, qvod inter inimicos Nobiliſſimi Bilſii me recenſeas, qvum id unicè in *Spicilegio ſecundo* egerim, ut hominem laudarem, & à calumniis alios abſterrerem. Procul habeo invidiæ cauſas, & malitiæ, qvæ hactenus ignoravi. Nec enim mihi de plebe infima animus, aut infenſa virtus. Si credimus *Livio* l. 35. *nulla ingenia tam prona ad invidiam ſunt, qvam eorum qvi genus ac fortunam ſuam animis non æqvant: qvia virtutem & bonum alienum oderunt.* Qvod verò aſſenſum plenum novis illis artibus in aliam diſtulerim occaſionem, donec clarius & ad liqvidum veritas Bilſianorum experimentorum explorata eſſet, ægrè ferre non debes. Eruditorum facta orationi illorum convenire debent, &

con-

conſilia ad exitum perducenda anteqvam probentur. Gravius nihil dicam, ne conviciis vobiſcum certare videar. Inter bonos amicitiâ pugnandum, non injuriis, qvæ nec tegunt, nec vulnerant Semper hac in re qvi vincitur, vincit. Divites opertis oculis ſua bona computant, ſed Anatomicus oculatis manibus fidit. Magni authoris eſt ſententia, *nullum conſilium*, addo artificium, *laudari poſſe, niſi peractum.* Laudavi interim conatum Bilſii, & ardens in Anatome ſtudium, boniſq; ominibus proſeqvutus ſum. Fertur corpora magno labore præparata & condita ſervare, hoſpitibusq; advenientibus & paſſim invitatis oſtentare, Audio multis placere, ab aliis verò non magni fieri. Sic varia ſunt hominum judicia, qvibus me pro arbitro non interponam. Sinamus cum Zenone apud Romanæ Hiſtoriæ Principem, *ſuo qvemq; periculo furere.* Teſtatur mihi Illuſtriſſimus Vir Dominus *Ottho Kragh*, Ser. Reg. Majeſt. Danorum ad Præpotentes Belgii Fœderati Ordines nuper Legatus meritiſſimus, magnus Literatorum fautor, cujus ſubacto judicio multum tribuo, qvum ad viſenda miranda Bilſii opera Roterodamum concederet, à Nobili Bilſio inſigni humani-

tate ſe exceptum, vidiſſe mira voluptate artificioſe ſecta & præparata corpora, nec ſine digno encomio Bilſii mihi conatus deprædicat. Cœlo imputet Bilſius, qvod Principibus Viris placeat. Dignum ſua generoſitate fecerit, ſi ſpreto ſordido lucro, laudis ſolius amore, noſtris qvoq; Theatris ſubmiſerit pollincta ſua cadavera, ut apud Boreales famam ſuam factis hujusmodi extendat. Patebit tum manifeſtius illius artificium, & omnes nos ad laudem promeritam inveniet faciles promptosq;. Dum enim abſentes liberiori judicio per abſentium vagamur ſpectacula, facilem indignationem illorum incurrimus qvibus præter laudes & acclamationes nihil placet. Sicq; his illisq; injurii videbimur, nobis, qvod credere debeamus inviti, illis qvod neceſſariâ incredulitate inventis deteramus partem laudis, qvam forſan integram deberemus. Balſamationem pleno ore extollunt curioſi rerum æſtimatores ſine ullo partium ſtudio, inter qvos *Möinichenius* qvoq; noſter. Negat tamen vaſa & alias partes corporis balſamati, de qvibus exultat *Bilſius*, ea elegantia præparatas qvæ omne punctum ferret. Nihilo ſecius, tuo judicio, author tanti ipſam corpo-

rum

rum balſamationem non facit, qvanti artificioſam cadaverum præparationem ante pollincturam. Non pateris me in *Spicilegio ſecundo* præferre recentiorum cadaverum demonſtrationem, in qvibus ſingulæ partes naturali colore, connexione debita, figura propria rectius videntur, qvam in exſiccatis. Nec ideò artificium Bilſii extenuatur, qvod ſine fuco dilaudavi, nec muto factum, qvanqvam ea vobis de me non ſit fiducia. Percommodum dico eſſe inventum, & famæ ſurgenti nobilitatiq; egregiæ dignum, in illis præſertim terrarum angulis, ubi recentia cadavera Sectoribus denegantur. At Patavii, Pariſiis, Londini, Hafniæ, Leidæ, ubi ſuperiorum indultu in nuper defunctis cadaveribus ſectiones fiunt & demonſtrationes publicæ, qvin hybernis menſibus utiliora ſint pro cultro Anatomicorum & oculis ſpectantium, vigentia ſuo ſucco corpora, non negaturum Te credo, hujusmodi exercitiis Academicis aſſvetum. Cæterum Sirio ardente, & in ſuperſtitioſa nonnullorum hominum averſatione, ubi recentia nec haberi poſſunt nec præparari, opportuno Bilſii artificio defectus ſupplebitur. *Iſta* artificioſa præparatione, Ægyptiorum Mumias, qvæ

teſte *Herodoto* l. 2. Euterpe, viſcerum omnium ferè extractione conditis deinde rebus implebantur, majori labore & ingenio ſuperavit, qvia diſpar Ægyptiacorum & Bilſianorum corporum uſus eſt & finis. Ne aridum ſit Reſponſionis hujus argumentum, tuæq; ſimile, de iſtis lectorum in gratiam pauca libabo.

Complures ſunt condiendorum cadaverum utilitates, qvarum plerasq; Ægyptii perſpexerunt, nonnullas recentiorum ſuperaddidit curioſitas. I. Ad fætorem arcendum, ut elegantiſſima machina putredinis deformitatem evadat, & diutius conſervetur. Hoc fine Joſephus ejusq; Pater Jacobus *Geneſ.* 50. balſamo conditi leguntur, ut in promiſſam terram transportarentur. II. Æternitati eo modo præluditur, ſpesq; reſurrectionis apud ſuperſtites augetur. Rectè B. *Auguſtinus* l. 1. De Civ. Dei c. 12; *curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompæ exſeqviarum, magis ſunt ſolatia vivorum, qvam ſubſidia mortuorum.* III. Accedit vivorum in defunctos veneratio, qvorum ut memoria, ita exuviæ perpetuitati ſacrantur. Æthiopum pietas laudatur, qvod olim demortuos ſuos gypſo obductos, picturaq, exornatos ad accuratam

ſatam illorum effigiem, vitro indiderint, domi ſuæ ſervaverint, & ſolenni pompa per urbem conſpiciendos circumtulerint. Hinc ad magnates ea cadaverum cultura tranſiit & conditura, etiam ſeculo noſtro uſitata, qvam tamen ſuo cadaveri denegavit glorioſæ memoriæ CHRISTIANUS IV. Auguſtus Danorum Rex, omni memoriâ & veneratione digniſſimus. Aliis loqvatur *Seneca* l. de Tranq. An. c. 1. *qvid opus eſt ſeculis duratura componere? Vis Tu non id agere, nec te poſteri taceant? Morti natus es: minus moleſtiarum habet funus tacitum.* IV. Ad civiles motus avertendos defunctorum Regum conditura ſubvenit, ut diutius imperio credantur præeſſe. Hinc apud *Saxonem* noſtrum l. 5. Hiſt. Dan. Frothone Tertio Rege Danorum mortuo, egeſtis viſceribus, ſalitum corpus triennio Proceres aſſervandum curabant, provinciarum defectionem vulgato Regis exitu formidantes. V. Vel in pœnam vel ſolatium, nonnunqvam diutius à putredine incorrupta vindicantur, ſuæq; mortalitati cadavera ſuperſunt, ſive nativo balſamo & ſale, ſive ſepulchrorum terræq; ſalinæ & nitroſæ poteſtate, ſive alia cauſa ſupranaturali. Effodiuntur in patria noſtra poſt multorum

anno-

annorum decurſum non raró integra corpora, qvæ longiorem ætatem ferre valent. Nobilis Venſtermanni exemplum adduximus, à nobis viſum, *Cent. 1. Hiſt. Anat. Rar. 62.* Notat qvoq; *Albertus Crantzius* l. 3. Metrop. c. 42. 48. Svenonem Daniæ Regem per annos LXX. integrum in ſepulchro à putredine Libentii Hamburgenſis Epiſcopi gladio fuiſſe conſervatum, ſed interpoſita prece Adelvardi Seonum Apoſtoli abſolutum cecidiſſe in cineres. Carpentoracti anno 1642. refoſſum corpus femineum poſt aliqvot ſecula incorruptum, deſcribit *Theophilus Raynaudus* l. de incorr. Cadav. c. 2. qvaſi Bilſiano opere pollinctum. Apte enim commiſſa inter ſe erant membra, carne ſua & cute, arida tamen & ſubfuſca, bellè veſtita. Sua uberibus tamen inerat mollitudo, collo lenitas, nec non coxendicibus & poſticæ pedis dextri parti planè integræ, & poſt ſcapulas inſveta cadaveri teneritas, qvalem qvoq; in Venſtermanno obſervavimus. Capilli capitis, cuti tenaciter adhærebant, aures integræ, lingva arida, laryngis cartilago ſana & vegeta; carne & cute nudata facies, dum vi exhumatum eſt corpus, per imprudentiam conciſa. Humor oculorum orbibus

bus continebatur, Chirurgusq; Rollerius vulnerariam bolidem capiti immiſſam, humore glutinoſo & obſcuro madidam eduxit. Piloſa erant genitalia. Qvum ex mulierculis qvæ tum in templo laboribus occupabantur, forte una ex genitalibus pilos avulſiſſet, tamdiu inſaniit, donec jubente Confeſſionario pilis reſtitutis ſanam mentem reciperet. Stupæ qvibus vulva obducebatur, integræ viſebantur. Dextram mammam aperuit Chirurgus idem, digitoq; in vulnus immiſſo carnem glanduloſam, candidam & humidam invenit planè incorruptam, ſine ullo fœtore. VI. Præcipuum uſum ſibi Medicina vendicat. Qvia aſphalto condiebantur Mumiæ Ægyptiacæ, cæterisq; aromatis, unde præcipuo munere ad Rem Medicam protractæ. Pleni de his ſunt Medicorum libri, ut hinc commodè exulare poſſint. Ad *pigmenta medicinalia* has peregrinitatis merces uſui eſſe hominibus indicat *Tertullianus* l. 1. de Idolol. c. 11. Ubi pigmenta qvid ſint, ſine nomenclatore patet, de qvibus tamen videndum Cl. *Rhodii* noſtri Lexicon Scribonianum. Medicinalia enim erant, & hujus ſenſus cadavera, *medicata* dicebantur antiqvis. VII. Ad morborum ſedes affectas & cauſas inqvirendas

rendas eviſceratio iſta pro conditurâ conducit, qvæ alioqvin in Magnatibus haud innoteſcerent, ſine hoc pollincturæ prætextu. Eo fine Hiſtorias Vitasq; Principum Virorum Medicus evolvere debet, ut de morborum mortisq; causâ ex cadaverum inſpectione reddatur certior. VIII. Anatomicis demonſtrationibus deſtinavit Mumias ſuas Nobiliſſimus *Bilſius* præclaro invento & inſtituto. Hinc non farctas aſphalto aut aliis aromatis, ſed arte viſceribus vaſisq; ſeparatis & ſuo loco relictis, externa internaq; corporis eleganter, ut ferunt, contra putredinem cadaveroſam munit, ut Anatomicis poſtea demonſtrationibus qvocunq; tempore inſerviant. Macte Bilſi generoſo conatu. Seriò acclamamus cum *Perſio* Sat. 1:

—— nunc non cinis ille poetæ
Felix? non levior cippus nunc imprimit
oſſa?
Laudant convivæ. nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo, fortunataq; favilla
Naſcentur violæ?

Pretioſa tamen nimis eſt iſta Anatome, ut omnium Profectorum ſtipendia ſuperet. Præterea difficulter inducor ut credam, in iſtis Mumiis Bilſianis non tyronibus tantum,

uti narras, ſed & mihi meisq; ſimilibus, monſtrari poſſe vias & meatus, per qvos chylus cum recurrente ſangvine in hepar usq; perveniat. Magnus erit Apollo, ſi id vel tyronibus artis ad oculum oſtenderit in cadavere recenti & manu haud violenta diſſecto. In Mumiis exſiccatis vias vi forſan audacior manus patefaciet. Et valvulæ omnes exſiccatæ contrahuntur, ut liqvores ſine impedimento hinc inde fluere concedant, etiam invitâ in viventibus naturâ. De Lymphaticorum verò progreſſu & ambagibus non repetam qvæ alibi in contrarium fuere allata. Non ideò tamen exſibilamus Mumias Bilſianas, qvibus memoriæ tyronum fugienti qvovis tempore ſuccurritur, velut pictis figuris. Optandum potius ut naturam faventem humanitate ſibi conſervaret, dubitantes æqvo ferret animo, nec Anatomiæ benè meritos Doctores inſectaretur acerbius. Cedro digniſſima ſunt experimenta, qvibus putredinem corporibus arcet, & ſangvinem cohibet. Parcat tamen viventibus & Dei munere ſpirantibus, ne, qvod de Cedro *Plinius* l. 24. c. 5. nos de Bilſio dicamus: *Defuncta corpora incorrupta ævis ſervat, viventia corrumpit: mira differentia, cum vitam auferat*

rat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit. Rectius poſteritati conſuleret & publico, cui bono natus eſt, ſi ſuppreſſis invidendi cauſis, pollincturæ ſuæ modum edifféreret, ſi ſangvinis repagula indicaret, ſi dubitantes in Naturæ ſecum ſecreta abduceret, ſi deniq; errantes placidè in viam reduceret. Ita certè ſibi majorem famam, publico commodum procuraret. Veteres alöe, myrrha, caſſia, cedria, aſphalto &c. medicabant funera exſiccanda. Sale communi idem præſtiterunt Ægyptii, teſte *Herodoto* l. 2. noſtriq; Dani apud *Saxonem Grammaticum.* Sal mirabile ſuum deprædicat celeberrimus Chymicus *Jo. Rudolph. Glauberus* part. 1. Mirac. Mund. c. de Uſ. Sal. mir. in Med. n. 20. 21. 22. præſervare non ſolum inſecta, ſed integra corpora hominum & animalium ab omni corruptione, etiam in forma ſiccâ; condire vivos mortuosq; piſces & carnes, ut & flores, ne putreſcant: in Anatomia cadaverum conſervare partes, ne fæteant, aut corrugentur. Vel Sal hoc qvodforſan eſt vitriolatum, à *Glaubero* accepit *Bilſius*, vel ab hoc ille, adeò ſimiles effectus admiramur, qvod de ſangvinis coagulatione qvoq; ex eodem ſupra monuimus. Curioſi, qvibus id conceſſum,

ſum, experiantur Glauberiani ſalis vires, & forſan criſtas ſuas demittet cliens tuus, tenax ſecretorum ſuorum cuſtos. Evangelus apud *Macrobium* l. 7. Saturn. c. 16. ad integram carnis aprinæ incolumitatem conſervandam ſine putredine, infixum cuicunq; parti corporis acutum æneum commendat. Stipticæ vi id attribuit *Macrobius*, qva & oculis profit illorum qvi in metallo æris morantur, & vulnera qvæ ex æreo mucrone fiunt ſecundum *Ariſtotelem*, facilius curet. In vitriolo autem Veneris potior cauſa, qvod non tantum putredinem arcet, ſed & oculis confert, & vulnera in pulvere Sympathico, de qvo *Papinius*, citiſſimè ſanat. Qvodcunq; ſit putredinis remedium, naturam feliciter imitatur *Bilſius*, qvæ & integra corpora ſubinde indurat ut ſecula ferant, ſicut ſuperius evicimus, & particulas viſceraq; interiora conſervat. Cerebrum qvod aliàs Ægyptii eruebant, teſte *Herodoto*, & alii poſtea pollinctores, integrum non ita pridem Avenione poſt multos annos molle humens ac tabis expers inſito principio vel ſoli natura repertum, prodidit *Raynaudus* de Cad. Incorr. c. 6. n. 21. & ſimilia narrat *Fabricius Hildanus* Cent. 5. Obſ. Chir. 4. Jecur vetu-

ſtatis patiens dicitur *Plinio* l. 11. c. 32. & *centenis durare annis, obſidionum exempla prodidere.* Ab anno elixatum hepar humanum, qvod ſub ſcamnis ſcholæ Medicæ aſſervatum fuerat, nullo modo corruptum aut rancidum, ſed eo odore præditum, qvi eſt in recenter elixato, vidit *Riolanus* l. 2. Anthrop. c. 21. De corde nihil addo, qvod ob compactam ſubſtantiam nullo negotio conſervatur. In aere exſiccabat Empiricus noſter ruſticus, ex qvo deinde pro febrientibus pulverem abraſit. Nec reliqvas partes tangam, qvæ artis & naturæ beneficio, putredini ſubducuntur. In ſtupenda præparatione cadaverum, id ſubit mirari, qvod narres habere Bilſium mumias, qvibus nervi, alias qvibus venæ, alias qvibus arteriæ inſint. Cur tantis ſiſtendi ſangvinis arcanis & manu promptâ inſtructus, hæc omnia in uno ſubjecto non repræſentat? Penes nos operâ & beneficio Conſobrini noſtri deſideratiſſimi D. *Henrici Fuiren*, in Muſæo Academico aſſervantur qvatuor Tabulæ, venarum, arteriarum, & Nervorum, ex uno cadavere humano cum D. *Leoniceno*, Magni *Veslingii* Eqvitis S. Sepulchri ſuccenturiato, me præſente Patavii exſectorum. Cæterum qvod

de

de exſeqviis Hepatis & Epitaphio illi mea manu erecto objicis, repetitâ refutatione non indiget. Nihil enim antea indictum vel pro hepate defendendo, vel ad me debellandum protuliſti, ſtantq; immota illa qvæ aliàs nobis & Natura monſtravit, & ingenium ſuggeſſit. Experimento verò Bilſiano tantum credis ineſſe pondus, ut ſola unius canis demonſtratione, ſine alio ad dubia noſtra in Spicilegio copioſius propoſita reſponſo, hepar vindicare poſſit & ad vitam revocare. Sed ſiſte gradum. In canibus veſtris non potes monſtrare chylum ad hepar ire, aut in meſeraicis contineri, niſi ſolâ conjecturâ, qvia diverſo colore ſangvis ille videtur, qvem colorem fallere ex Spicilegio noſtro diſces. Ex coagulatione cita ſangvinis meſeraici, malè chylus creditur, ſicut ibidem monui. His aliisq, mediis non reſuſcitabis veſtrum hepar, nec priſtinæ dignitati reſtitues. De altera chyli via ad cor, *Pecqveti* invento, qvam ad alium uſum Nobiliſſimus *Bilſius* reſervat, aliòq; derivat, ne verbum addo, partim qvod de ea egerim in *Spicilegio*, partim qvod novam iſtius diſtributionem nemo ex amicis meis viderit, qvi ea de re me certiorem faceret. Pro ſalvando Hepate nuper

P. Vattier Doctor Pariſienſis in libell. *le Coeur Dethroné*, p. 37. chylum ſubtiliorem ex ventriculi tunicis ſtatim ad hepar tranſudare valdè frigidè demonſtravit, qvi ex *Hiſtoria* noſtra de *Lacteis Thoracicis* refelli poſſet, niſi pro ingenii ejus luſu æſtimarem. Ego verò cum Theologis, qvos mecum committis, facilè in gratiam redibo. Preſſi veſtigia veſtra, & ſeria jocis veſtris immiſcui. Non credo me peccaſſe, ſi à jocorum noſtrorum ſimplicitate malignus interpres abſit. Magnus *Hugo Grotius*, Dæmonium illud hominis, lectus Tibi non videtur, alioqvi rectius & de illius & mea mente judicaſſes, & qvo fine ex *Platone*, *Heraclide*, *Herodoto*, *Plutarcho* illorum exempla in Notis ſuis congeſſerit, qvi olim revixiſſe dicuntur. Demortui, ſed in animis omnium viventis cineres veneror, cujus ſuperſtitis favore uſus ſum. Aliter ſi animatus eſſem, impudentiæ notam haud effugerem. Egregiam verò laudem & ſpolia ampla retuliſti, qvod etiam *Riolani* umbram contra me & manes evocaveris, qvaſi timore ullo me unqvam ſubduxerim qvamdiu in vivis fuit Magnus Riolanus. Scias verò, ſi qvidem hoſpitem Te video in iis qvæ prius ſcire debueras, qvam iniqvo cala-

calamo atramentum nobis aſpergeres, ſuper- ſtite adhuc & inter vivos vegetosq; merente *Riolano*, me maſculo & intrepido animo partes meas à Riolano provocatum, publicè egiſſe, non tantum in *Anatome Reformata*, ſed in *Defenſionibus* Lacteorum & Lymphaticorum Vaſorum, ſpiſſo volumine, & *Spicilegio primo*. Qvæ omnia à me ſcripta, ante vidit, tradente Cl. *Patino*, utriusq; amico, legitq; *Riolanus* pluſculis annis, qvam fatis concederet.. Poſt illius exceſſum, parciſſimè, nec ſine magna veneratione, ne manes defuncti turbarentur, ad teſtimonium advocavi diſſentientes ſenis emeriti ſententias. Cum larvis luctari, meum non eſt, nec ex uſu erit, qvia inter veſpillones verſor. *Bilſius* autem an felicior Riolano, veſpillo ſit futurus, probabit eventus. Feſtiviſſimè facetus *Martialis* l. 1. Epigr. 48.

Nuper erat Medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus;
Qvod veſpillo fecit, fecerat & Medicus.

Crudelior Bilſius eſt, qvia mortuos effodere, & vivos ſepelire conatur. Di tantum avertant facinus, tantamq; inter homines peſtilentiam. Pro vivis intercedendum eſt ſupplicationibus, & inaudita ſtrages depre-

canda. Ideone mihi ſepulchrum à veſpillone Bilſio foditur, qvòd manus oculatas habeam crediturus qvod viderim? Proxima ad ſcientiam via eſt dubitatio. Inſigni impietate & crudelitate notas Nobilem *Bilſium*, cave ne malam illius gratiam ineas, qvaſi dubitantes non ferret. Monitum eſt *Senecæ* Epiſt. 94: *qvæcunq; ſalutaria ſunt ſæpe agitari debent, ſæpe verſari.* Et ſi orco tradendi omnes eſſent, qvi diligenter cibos maſticant, anteqvam deglutiant, jam & brevis meliorum foret ætas & nutritio depravata. Si eadem & illi tecum eſt mens, audi oraculum *Pſalm.* 57. *Foderunt ante faciem meam foveam, & ipſi inciderunt in illam.* Tandem Hepatis in gratiam, confugis ad veterum authoritatem, tanqvam ad triarios. Totiens verò alibi hoc argumentum pertractavi, ut nauſeam excitet crambe repetita. Qvod ſi axiomatibus Dialecticorum *Bilſium* tuum ſubmittis, ſcias *Primò*, pro corde majorem eſſe authoritatem, & antiqviores teſtes. *Deinde*, nullos teſtes, etiam ex ultima antiqvitate eductos, ſatis eſſe idoneos, qvi veritati & experientiæ opponantur. *Tertiò*, publicam confeſſionem rebus venerationem conciliare, neutiqvam veritatem. Nec parit multitudo errantium, errori

errori patrocinium, qvum pleriq; ſeqvantur præcedentium gregem, qva itur, non qva eundum eſt. *Qvartò*, ſi ſapientum & artificum authoritas tantum valet, ut credendi legem minus ſapientibus præſcribat, jam vel magnis inclytus Bilſius excidit auſis, vel arrogantiâ inuſitatâ ſe ſolum ſupra omnes qvi hactenus vixerunt, ſapientem & artificem effert & jactat. Nos *deniq;* eam antiqvitati deferimus reverentiam, ut præclarè olim inventa laudemus & ſeqvamur, errores, ſi qvi ſint, benignè excuſemus, defectum, qvi ſeculis imputatur, modeſtè ſuppleamus. At novitios induſtriæ & felicitatis prærogativâ non privamus, qvi olim inter antiqvos numerabuntur. Semper ſapienti reſtabit qvod inveniat, & qvò animus ejus excurrat. Hinc candor meus apud Te excuſationem jure ſuo prætendit, qvod in rebus novis ſeculiq; hujus inventis, non antiqvos, *Platonem, Hippocratem, Ariſtotelem, Galenum* in ſcenam hanc produxerim, ſed eos præſertim qvi partim nova invenerunt, partim inventis novis applauſerunt, & ex parte illuſtrarunt, qvorum major in his, qvam antiqviſſimorum cenſetur authoritas. Cætera non moror, qvæ de acerbis recentiorum ſcriptis ingeminas. Cum nullo

nullo mortalium ad convitia fœdus inivi; nec ulli ad veritatem ſubruendam auxiliares copias vel miſi vel promiſi. Si famelicum veſtrum hepar ſalvare poteſtis, & ego Elephantem ficubus onuſtum mittam, ut longâ inediâ in tumulo emaciatum ſaginetur, & ſordidum ſqvalore terreno lymphâ meâ abluatur, ſi qvidem tanta de lymphatico, ſicut jocaris, homine vobis ſit fiducia. Interea cum *Claudio* in Apocolocynthoſi, dum vidit funus ſuum Hepar, intelligat ſe adhuc mortuum eſſe.

Vale. Raptim Hafniæ $\frac{18}{28}$ Febr. cIↄ Iↄc LXI.

59 958866

MC